

sum, PATRES responderint, id satis intelligi ex ipsa voce *inherentia*, quæ proprie convenit habitibus, non vero actibus.

Quoad 3^{um}. *N. A. Disparitas* de pecc. originali est; quia, quæ prædicata tribuuntur gratiæ a TRID., ex propria et obvia significatione designant permanentiam physicam: talia autem non sunt prædicata *originali* peccato attributa, quæ erant illud esse propagatione transfusum, et inesse unicuique proprium. Per ea enim TRID. intendit damnare errorem dicentium, peccatum originale non esse unicuique proprium, neque singulos inficere, sed solum esse peccatum inficiens Adamum; ad hoc autem impertinens est inhærere *physice*: nam certum est de fide, dari peccatum habituale proprium et inficiens peccatorem; nihilominus juxta communem Theologorum nihil est *physice* et permanentiter inhærens, in quo talis macula constituatur.

Inst. 2. Peccatum habituale est actus *physice* præteritus, et moraliter perseverans; item homo fit *beatus* per actum suum; ergo et gratia habitualis potest esse actus moraliter dumtaxat perseverans, et homo fieri gratus Deo per actum, seu dilectionem suam.

R. *N. Cons.* Quoad 1^{um}. *Disparitas* est; quia præter jam dicta *peccatum habituale* moraliter spectatum non fit novorum actuum principium, quos natura ex se elicere nequeat: *gratia* autem est novum saltem radicale principium operationum supernaturalium; quod utique debet esse *physicum*.

Quoad 2^{um}. *Disparitas* est; quia *beatitudo* est possessio, quæ in actu consistit, quique necessario *physice*, non autem moraliter tantum existit: *justitia* autem gratum faciens est jus potius ad possessionem, quam possessio; nec jus autem in actu consistit, nec actus hominis viatoris possunt esse *physice* perpetui.

ARTICULUS II.

QUÆNAM SIT ESSENTIA GRATIÆ HABITUALIS?

404. *Dico.* Gratia habitualis *realiter* distinguitur ab habitu charitatis.

Prob. AUCTORITATE. SCRIPTURA 2. ad Cor. 13. v. 13. inquit: *Gratia D. N. J. C., et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Et 1. ad Tim. 1. v. 14. *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide et dilectione.* Item ad Ephes. 6. v. 23. *Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et D. N. J. C.; gratia cum omnibus, qui diligunt D. N. J. C.*

CONC. VIENNENSE loco cit. ait infundi in baptismo *informantem gratiam et virtutes*: TRID. Sess. 6. c. 7. docet in justificatione renovari hominem per voluntariam susceptionem *gratiæ et donorum*; et can. 11. damnat dicentes justificationem fieri sola remissione peccatorum, *exclusa gratia et charitate*: MOCUNT. ann. 1349. celebratum c. 7. (Labb. t. 14. p. 674. B.), inquit: *Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, et per Spiritum S. una cum fide simul charitatem in corde diffusam ac spem accipit.* Demum Catechismus TRID. de baptismo, postquam dixisset gratiam infundi, quam splendorem quendam et lucem appellat, subjungit: *Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.*

DIONYS. L. de Hier. Eccl. c. 2. p. 1^o. *statum divinum et vitam* prærequirit, *ante operationem supernaturalem*, sicut prius necessarius est *status vitæ humanæ, quam humana operari possimus*; adeoque ante charitatem tanquam virtutem operativam sentit nobis dari gratiam, qua in statu viventium *vita divina* constituamur, ut opera viva connaturaliter exercere valeamus. Accedunt recitata præced. art. testimonia S. Aug., quibus justitiam seu gratiam justificantem distinguit a charitate, eamque huic æque ac fidei opponit.

Prob. RATIONE. Habitus charitatis neque ex suo conceptu *generico*, neque ex conceptu *speciali* talis habitus, qui nunc datur, per se et formaliter reddit hominem intrinsece sanctum, divinæ naturæ participem, amicum et filium Dei, etc., quæ sunt munera gratiæ sanctificantis. Non 1^{um}. quia *habitus*, ut præcise est *charitatis*, solum dicit virtutem, quæ elevat voluntatem ad dilectionem Dei propter se, ut habitus fidei elevat ad actus fidei supernaturales: sed hoc ex suo conceptu non dicit facere sanctum, participem divinæ naturæ, amicum et filium Dei; tum quia, quod hominem facit potentem, ut diligit regem propter se, non facit hoc ipso eum dignum, ut a rege amicabiliter diligatur et in filium adoptetur: tum quia omnipotentia Dei specialiter applicata potest elevare hominem ad Deum propter se diligendum, quin illa gratiæ munera præstet; ergo. Non 2^{um}. quia *specialis* illa virtus charitatis, quæ ex conceptu ipsius habitus non provenit, debet asseri ex certo privilegio divinitus concesso: hoc autem probari nequit, ut ex objectionum solutione constabit; ergo.

Conf. 1. Tria maxime divina, quæ in statu supernaturali participantur, sunt natura, cognitio, amor: sed *cognitio divina* ab homine ex parte intellectus participatur per fidem in via, et per visionem in patria; *amor* ex parte voluntatis participatur per charitatem; ergo *natura divina* ex parte animæ et substantiæ quatenus a facultatibus et operationibus distinctæ participatur per id, per quod homo renascitur, fit filius Dei et hæres: sed id, per quod homo renascitur, et filius ac hæres Dei fit, est gratia; ergo.

Conf. 2. Gratia dat esse divinum, et est fundamentum primum totius supernaturalitatis: sed charitas non dat esse, sed *operari* divine; nec est primum supernaturalitatis fundamentum, cum tanquam virtus appetitiva præsupponat etiam fidem et cognitionem supernaturalem; ergo.

Conf. 3. Reliquæ virtutes infusæ omnes solum elevant hominem ad suos *actus speciales*; quamvis aliquæ possibiles sint, quæ formaliter etiam sanctificant; ergo congruum est, ut idem dicatur de habitu charitatis, ex hypothese quod non adsit pro disparitate urgens ratio, quod nunc examinabitur.

405. *Obj. 1.* Eosdem effectus, qui gratiæ communius tribuuntur, charitas teste Scriptura etiam proprios habet: nam charitas 1^o. expellit peccatum; Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. Joann. 3. v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte.*

2^o. Hominem facit Deo gratum et dilectum; Prov. 8. v. 12. *Ego diligentes me diligo*; et Joann. 14. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo.*

3^o. Reddit nos sanctos; ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso..... ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.*

4°. Deo nos conjungit; 1. Joann. 4. v. 16. *Deus Charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

5°. Confert nobis vitam spiritualem; 1. Joann. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.*

6°. Constituit filios Dei; 1. Joann. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

7°. Profert omnes virtutes; et hæredem vitæ æternæ facit; 1. ad Cor. 13. v. 4. et seqq. *Charitas patiens est, benigna est, etc.* Et Jacob. 1. v. 12. *Coronam vitæ... repromisit Deus diligentibus se; ergo.*

R. 1°. N. Cons. Certum enim est inter Catholicos, cum quibus hic disputamus, *gratiam* non esse eundem habitum cum *fide*; et tamen ex Scriptura facile æquali ratione ostendi potest, eosdem effectus attribui fidei. Prov. 15. v. 27. *Per fidem purgantur peccata.* Sap. 1. v. 2. *Invenitur (Deus) ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Eccli. 43. v. 4. habetur: *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.* 1. Joann. 5. v. 1. *Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est, etc.*

R. 2°. D. A. Effectus gratiæ proprii tribuuntur etiam charitati secundum suam significationem *genericam*, et tam tropo, quam proprietati communem acceptæ C. charitati *specificæ* et in propria significatione actus vel habitus virtutis specialis acceptæ *subd.* tribuuntur illi in genere causæ formalis N. in genere causæ meritoriae vel efficientis vel dispositionis, aut propter connexionem gratiæ cum charitate C. Responsio clarius patet ex dicendis ad singula.

In 1°. uterque textus agit de actu charitatis, qui in priori proponitur ut *dispositio*: in posteriori ut *signum* remissionis peccati, quæ fit per gratiam.

In 2°. rursus in utroque actus charitatis asseritur esse dispositio vel *causa meritoria*, cur homo diligatur a Deo.

In 3°. vel hic est sensus: Deus elegit per charitatem, ut simus sancti et immaculati; vel iste: elegit nos Deus, ut in sanctitate serviamus illi, non ex timore pœnæ, sed ex charitate: ex neutro autem sensu colligi potest, gratiam esse *sanctitatis formam*.

In 4°. solum declaratur, eum, qui in charitate manet, habere Deum in se manentem; quia *charitas inseparabiliter connectitur* cum gratia, per quam Deus in nobis manet: minime autem dicitur, charitatem esse hanc ipsam gratiam; præsertim cum ibi distinguatur inter manere in Deo, et inter habere Deum in se manentem.

In 5°. denuo sermo est de actu charitatis vel *dispositione*, vel *signo* et *fructu*, non autem forma nativitatis divinæ.

In 6°. *charitas* non sumitur pro *actu* vel *habitu* virtutis creatæ, sed pro dono ex charitate collato, vel effectu divinæ charitatis.

In 7°. per priora verba charitatis habitus indicatur quidem tanquam radix virtutum, sed quæ sit instar *facultatis*, cum gratia sit radix, sed instar *naturæ*: per posteriora autem *charitas* asseritur esse meritum gloriæ cœlestis; huic tamen merito condignitatem tribuit gratia.

Inst. SS. PATRES, et inter eos maxime S. AUG., tribuunt charitati ea prædicata, quæ ostendunt esse eandem cum gratia. Nam 1. dicit, charitatem esse donum præstantissimum; L. 15. de Trin. c. 18. *Nullum est isto Dei dono*

(charitate) *excellenti*; ex conc. 1. in Ps. 113. *Nihil eminentius in Scriptura sancta inveniri potest, quam charitas.*

2. Eam vocat unam præ omnibus necessariam; Tr. 32. in Joann. n. 8. *His omnibus tam magnis rebus præposuit charitatem; ipsam habeto, et cuncta habebis, quia sine illa nihil proderit, quidquid habere poteris.*

3. Charitatem statuit tanquam notam discretionis; Tr. 5. in 1. ep. Joann. n. 7.: *Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli.*

4. Eandem dicit esse formam sanctificantem; L. de mor. Eccles. c. 12. *Cavere debet, ne ab ipsius Dei charitate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis mundi amore separetur.*

5. Eam demum aperte appellat justitiam; L. de nat. et gr. c. 42. *Ipsa enim (charitas) est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia.*

R. N. Ass. Ista enim prædicata vel tribuuntur charitati propter *connexionem*, quam illius habitus in præsentia providentia possidet cum gratia, aut quia, ut D. THOMAS vult, *charitas* semper per gratiam formatur: vel si tribuantur charitati propter se, *æqualitatem* talem aut præcellentiam non inducunt, ad quam evitandam necesse sit charitatem cum gratia confundere.

Nam descendendo ad singula, sive 1^{um}. accipiatur de actu, sive de habitu, *charitas* potest dici donum excellentius et eminentius comparate ad *fidem*, *spem*, et *reliquas virtutes*, non autem comparate ad gratiam, utpote inter quæ extrema tam parum S. AUG., quam S. PAULUS 1. ad Cor. 13. oppositionem instituit: quanquam, si mens S. Doctoris ex contextu attendatur, potius loquitur de charitate Dei, *qua ipse nos diligit, non qua nos eum diligimus*, ut c. 17. præmisit.

Idem respondetur ad 2^{um}. ubi rursus mentio fit de *præcellentia*: quod vero necessitatem attinet, nisi charitatis nomine intellectam velis gratiam ipsam, illa oritur ob connexionem charitatis cum gratia, sine qua nihil sane ad vitam æternam proxime prodest.

Quoad 3^{um}. charitatis actus *dispositive* distinguit inter filios Dei et diaboli, habitus *significative* seu tanquam signum et fructus filiationis divinæ; nec plus intendit AUG., qui ibidem ait: *Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes, Amen; cantent omnes, Alleluia; baptizentur omnes, intrent Ecclesias, faciant parietes basilicarum: non discernantur filii Dei a filiis diaboli, nisi charitate.*

Quoad 4^{um}. hoc loco intelligitur *actualis charitas*, qua meremur sanctitatem, sicut in cap. sequenti eandem intelligit, qua conservetur sanctitatis forma.

Quoad 5^{um}. denique charitatis actus appellatur justitia actualis, seu operatio justitiæ; quia subjungitur: *quoniam id, quod voluntate hominis adjuncta per Dei gratiam fieri posse confiteor, etc.* Ac postea c. 70. dicitur: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas profecta, profecta justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.*

406. Obj. II. TRIN. satis aperte identificat gratiam cum charitate. Nam 1°. cum Sess. 6. cap. 7. dixisset, hominem justificari per susceptionem *gratiæ et donorum*, ac postea docuisset causam formalem nostræ justificationis esse *justitiam*, qua interius renovamur, et merita passionis D. N. J. C. communicantur; mox subjungit, *id fieri, dum ejusdem passionis merito per*

Spiritus sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur; ergo eandem, quam gratiam et justitiam vocaverat, declarat esse charitatem.

2^o. Ibidem statim additur : unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem, nulla facta gratiæ aut alterius habitus mentione; ergo hanc sub nomine charitatis intelligere videtur.

3^o. Idem ead. Sess. cap. 10. ubi dixerat justitiam bonis operibus augeri, adjungit : Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat : da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum; ergo indicat justitiam in his tribus tantum consistere, nimirum in charitate per se, in aliis, ut charitate formantur.

4^o. Ibid. can. 11. definit justificationem non fieri sine gratia et charitate, quæ in cordibus hominum diffundatur; ergo, dum in singulari dicit diffundatur, indicat gratiam et charitatem unam duntaxat esse formam.

5^o. Idem Sess. 14. cap. 4. ait, contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare : sed gratia est quæ Deo reconciliat; ergo.

R. N. Ass. Concilium nihil hic definire voluisse, colligitur ex varia loquendi ratione, qua modo gratiæ et donorum, modo justitiæ, modo charitatis solius, modo fidei, spei et charitatis nomen usurpat. Nihil ex eodem theologice deduci posse pro identitate charitatis cum gratia, ostenditur facile, si singula examinemus.

Quod enim 1^{um}. attinet; imprimis illa particula dum, in rigore non indicat identitatem, sed connexionem duntaxat vel concomitantiam; unde solum significatur, quod tunc, quando charitas diffunditur, homo justificatur, minime autem significatur, quod id formaliter fiat per ipsam charitatem; deinde nec vox charitatis, aut ejus hic loci usurpatio est ita restricta, ut necessario debeat sumi pro virtute et habitu charitatis; cum accipi etiam possit pro ipsa gratia seu dono nos Deo charos faciente, et ex divina charitate in nos collato.

Quoad 2^{um}.; imprimis inde probaretur nimium, nempe etiam fidem et spem esse identificatam cum gratia; deinde, quamvis TRID. hic non faciat explicitam mentionem gratiæ, uti facit MOCUNTINUM num. 341. laudatum, dici tamen potest, fieri mentionem implicitam in verbis cum remissione peccatorum; quia hæc vel formaliter fit per gratiam, vel non fit sine gratia, ut can. 11. dicitur.

Quoad 3^{um}.; rursus imprimis probaretur nimium: deinde, sicut per augmentum fidei, spei et charitatis non excluditur augmentum reliquarum virtutum infusarum; sic nec augmentum gratiæ. Quod autem virtutum duntaxat theologiarum hic mentio fiat, ratio est; quia tanquam certum asseruit Concilium, has virtutes in justificatione infundi et in justificationis incremento augeri, tanquam incertum vero reliquit, gratiam et alias virtutes tanquam realiter distinctas a charitate infundi et augeri.

Quoad 4^{um}.; verbum diffundatur in singulari positum refertur more Grammaticis usitato ad postremum substantivum, de quo in c. 7., cui canon præsens correspondet, textum Apostoli protulerat; adeoque modus hic loquendi identitatem non indicat.

Quoad 5^{um}. D. M. Contritio charitate perfecta meritorie et dispositive

reconciliat peccatorem C. formaliter N. Contritio charitate perfecta est actus; actus vero formaliter non justificant, nec reconciliant.

Inst. 1. Gratia sanctificans est participatio divinæ naturæ; ergo cum divina natura sit per se formaliter operativa, talis etiam debet esse gratia sanctificans; ergo est indistincta ab habitu charitatis operativo.

R. N. Cons. Rursus enim imprimis instantia est hæc; ergo sicut divina natura realiter est sua operatio, sic etiam erit gratia sibi sua operatio. Item Disparitas est; quia gratia non est participatio divinæ naturæ cum omnimoda similitudine, sed cum aliqua duntaxat, quam charitatis habitus non possidet.

Inst. 2. Gratia et charitas sunt mutuo inseparabiles; ergo sunt identificatæ.

R. 1^o. N. Cons. Tum quia retorquetur in virtutibus moralibus infusis: tum quia, licet separabilitas sit signum distinctionis realis, inseparabilitas tamen signum identitatis non est, ut in Personis divinis inseparabilibus quidem, sed tamen personaliter distinctis, manifestum est.

R. 2^o. D. A. Gratia et charitas sunt inseparabiles metaphysice, seu de potentia etiam absoluta N. physice, vel tantum in hac providentia vi præsentis decreti C.

ARTICULUS III.

QUINAM SINT EFFECTUS FORMALES GRATIÆ HABITUALIS?

407. Dico I. Per gratiam habitualement efficitur consortes naturæ divinæ.

Prob. Natura divina potest spectari vel physice et realiter pro substantia Dei, vel ethice et moraliter pro indole, inclinatione ac dispositione Dei ad operationes: sed sub utraque acceptione naturæ divinæ consortes constitumur per gratiam; ergo.

Prob. 1^a. p. min. tum quia mediante gratia et charitate Deus substantia-liter est, habitat et manet in justo; tum quia, ubicumque datur aliquid exigens divinæ personæ præsentiam ita, ut, si ubique illa non esset, ex vi solius illius rei revera inciperet esse præsens; tunc dicitur persona divina esse præsens creaturæ, atque illi de novo quasi uniri: sed quoties ponitur in homine justo gratia, toties verum est, quod Deus, seu appropriative persona Spiritus sancti esset præsens homini justo, si non esset ubique.

Prob. 2^a. p. Per gratiam homo fit consors naturæ divinæ ethice acceptæ, si per gratiam imitetur indolem divinam, eique assimiletur in perfectione repugnandi cum peccato et recte disponendi ad honeste operandum; in hoc enim potissimum stat conformatio morum cum moribus divinis, et etiam sensus verborum Petri dicentis: Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ; quia continuo subjungit: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem: en aversionem a peccato; Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem; quibus promptitudo ad omne virtutum opus abunde exprimitur.

408. *Dico II.* Per eandem efficitur *amici et grati Deo.*

Prob. Supposito ex parte Dei essentiali jure et dignitate infinita, ut is ab homine benevole et propter se diligatur; supposita item in Deo potentia et propensione ad hominem benevole diligendum et dona cum illo sua communicandum; ut habeatur etiam ex parte hominis amicitiae vinculum, requiritur in eodem tum dignitas quaedam, ut ametur a Deo; tum potentia, ut Deum benevole amet: sed utrumque praestatur per gratiam; ergo.

Prob. 1^a p. min. 1^o. Similitudo morum est fundamentum amicitiae et dignitas, ut quis ametur: sed per gratiam habetur *similitudo morum*, quia habetur consortium naturae divinae ethice acceptae; ergo. 2^o. Gratia habitualis est vera justitia; sed vera justitia est maxime grata et amabilis illi, qui per antonomasiam justus est, nempe Deo, juxta illud Ps. 10. v. 8. *Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus*; ergo. 3^o. Per amorem, quo Deus hominem diligit, fit iste Deo gratus et amabilis: juxta illud 2. Reg. 12. v. 25. *Vocavit nomen ejus: Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus*; et Sap. 4. v. 10. *Placens Deo factus est dilectus*: sed Deus non diligit hominem, nisi amore suo dignum; vel nisi faciat eum dignum per gratiam, cum non sit amor ejus sterilis, sed efficax; ergo.

Prob. 2^a p. Ex dictis; quia gratia vel est eadem cum charitate, vel certe ab eadem inseparabilis.

Conf. utr. p. Praeter obviam phrasin in Scripturis, qua justii dicuntur amici Dei, TRID. Sess. 6. c. 7. ait, hominem *per voluntariam susceptionem gratiae et donorum fieri ex inimico amicum*; et c. 10. justificados factos esse *amicos Dei et domesticos*; ergo.

409. *Dico III.* Per eandem efficitur *filiu Dei adoptivi.*

Prob. Filiatio Dei adoptiva praeter extraneitatem personae dicit similitudinem in natura et jus ad haereditatem caelestem: sed utrumque praestatur per gratiam; ergo. *Prob. 1^a p. min. 1^o.* Similitudo cum Deo maxime habetur per regenerationem et nativitatem spiritualem ex Deo: sed haec habetur per gratiam; quae ideo etiam 1. Joann. 3. v. 9. *Semen Dei in justo manens vocatur*; ergo. 2^o. Quia per gratiam habetur natura Dei ethice sumpta, quae proprie in similitudine consistit. *Prob. 2^a p. 1^o.* Per gratiam signati sumus Spiritu sancto: sed signati Spiritu sancto habent jus gloriae caelestis, juxta illud ad Eph. 1. v. 13. *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae*; ergo. 2^o. Per gratiam sumus filii Dei; sed haereditas est filiorum, ex illo ad Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*; ergo.

Conf. TRID. Sess. 6. c. 3. et 4. docet nos *renasci per gratiam, qua justificamur*; justificationem autem vocat translationem de potestate tenebrarum ad regnum filii dilectionis suae, et ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum: item c. 7. docet per gratiae susceptionem fieri, ut homo sit haeres secundum spem vitae aeternae; ergo.

410. *Dico IV.* Per eandem efficitur *justi.*

Prob. Justitia, non prout est specialis virtus, qua reddimus cuique suum, sed quatenus est *rectitudo illa totius hominis*, per quam tum est sanctus,

seu immunis a peccato, tum dispositus et ordinatus ad opera salutaria tam debita, quam pia, stat tum in expulsionione peccati, tum in potentia eliciendi *actus supernaturales aeternae vitae meritorios*: sed per gratiam expellitur peccatum; et per eandem habetur potentia illa; vel quia ex gratia tanquam radice necessario emanant virtutes habituales velut proprietates et potentiae, vel quia haec virtutes saltem pertinent ad gratiae constitutionem integram, ut alibi ostendetur; ergo.

Conf. Justii maxime efficitur, dum justificamur, regeneramur, renovamur, novum hominem induimur: sed hoc fit per gratiam; quia ad Rom. 3. v. 24. dicitur: *Justificati gratis per gratiam ipsius*; ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per J. C., ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae*; et ad Ephes. 4. 23. *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis: quod ipsum fieri per gratiam, quae in baptismate confertur*, TRID. Sess. 5. can. 5. definit; ergo.

411. *Dico V.* Per eandem efficitur *sancti*, seu mundamur et immunemur ab omni peccato mortali.

Prob. Eadem forma, quae facit hominem Deo amicum, filium Dei adoptivum et haerem regni caelestis, mundat etiam et immunem facit a peccato mortali; cum enim peccatum mortale faciat hominem Deo inimicum, reum aeternae poenae constituat, et consequenter tum jure haereditatis caelestis, tum fillatione divina privet; e contrario forma, quae opposita praestat, tollere peccatum vel expellere debet: sed gratia ex dictis haec omnia efficit; ergo.

Conf. Gratia et peccatum comparantur 1^o. Ut lux et tenebrae; ad Eph. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*; et 2. ad Cor. 6. v. 14. 2^o. Ut sanitas et aegritudo; juxta Aug. L. de spir. et litt. *Per gratiam sanatio animae, ablotione peccati*: 3^o. Ut novitas et vetustas; ad Coloss. 3. v. 9. 4^o. Ut mors et vita; ad Rom. 5. v. 21. 5^o. Ut sepultura et resurrectio; ibid. c. 6. v. 4. Accedit TRID. Sess. 5. Can. 5.

412. *Observe I.* In nullo instanti reali coexistere gratiam habitualement et peccatum mortale certum jam videtur: tum quia vere dicimus, justum seu gratia dotatum peccare: tum quia justo peccanti demeritorie auferitur gratia, qui proinde prius natura peccat, quam in poenam peccati expellatur gratia; ad quod opus est, pro priori natura praexistere gratiam; et pro posteriori existere gratiam in eodem instanti reali.

Ratio est; tum quia clare infertur ex Baui prop. 43. damnata, quae talis est: *In hominibus penitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum*: tum quia effectus formales gratiae habitualis sicut peccato repugnant pro reliquis instantibus, ita et repugnant pro instanti primo: ac praeterea evenire alias posset, ut homini lethaliter peccanti nunquam auferretur gratia, si nempe immediate ad commissionem peccati perfecte contereretur.

II. Disputari solet, an gratia habitualis habeat ex *intrinsicam suam vi*, natura et dignitate, sine ullo favore et condonatione extrinseca, quod expellat pec-

catum? In hac questione, quamvis facile concedatur requiri peculiarem Dei voluntatem remittentis et condonantis peccatum; videtur tamen TRIDENTINO conformius, si dicatur gratiam formaliter adæquate expellere peccatum: cum enim juxta Concilium justificatio sit *translatio a statu peccati*, hujus autem justificationis *unica formalis causa* asseratur *justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, et renovamur spiritu mentis nostræ*, ac præterea doceat, *per susceptionem gratiæ hominem ex injusto justum, et ex inimico amicum fieri*; videtur rite consequi illud assertum.

III. Ex eodem deducunt multi contra multos oppositionem gratiæ habitualis cum peccato mortali tam actuali, quam habituali esse essentialem ac metaphysicam, atque adeo nec de potentia Dei absoluta posse illa conjungi in eodem subjecto.

CAPUT II.

DE JUSTIFICATIONE.

ARTICULUS I.

AN ET QUÆNAM DISPOSITIO REQUIRATUR AD JUSTIFICATIONEM?

413. *Nota.* Cum non minus ex Scriptura, Deuter. 1. v. 59., et ad Rom. 9. v. 11., quam experientia certum sit, *infantes* discretionem boni et mali carere, ac proinde incapaces esse dispositionis propriæ, fingere autem sine fundamento miraculum, et id tanquam medium ad salutem necessarium exigere, divinæ providentiæ ordini ac sapientiæ contrarium sit, adeoque fidei Ecclesiæ non minus, ac communi sensui repugnans; quæstionem propositam patet ad solos pertinere *adultos*, quemadmodum et ad hos TRID. suam doctrinam Sess. 6. c. 5. et 6. aperte restrinxit.

Plures etiamnum circa quæstionem ita limitatam errores sunt Hæreticorum; 1. fidem justificantem esse specialem divinarum promissionum fidem: 2. fidem illam solam justificare; ubi vox *sola* juxta Lutherum ac rigidiores Lutheranos excludit necessitatem præsentiae aliorum actuum virtutum, juxta alios vero jam plures et Calvinum, meritum duntaxat et efficientiam quamcumque etiam dispositivam, non autem præsentiam excludit: 3. ipsam fidem justificare, non quidem per modum *causæ* formalis, aut efficientis vel meritoriae, aut etiam *dispositionis* propriæ dictæ; sed per modum *meriti organi* seu instrumenti, quo apprehenditur justificatio, quod explicant exemplo manus, qua pauper eleemosynam a divite recipit.

414. *Dico I.* Ad justificationem non sufficit *sola fides*. Est de fide.

Prob. 1. Ex SCRIPTURA. 1º. Paulus docet fidem sine charitate nihil prodesse; ad Galat. 5. v. 6. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque*

præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur; et 1. ad Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Jacobus vero, fidem sine operibus vocat mortuam.

2º. Qui habent fidem, possunt esse sine charitate et operibus, ut patet, præter dicta, ex Joann. 12. v. 42. *Ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Phariseos non confitebantur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*; et Matth. 25. ex parabolis *Virginum fatuarum ac servi inutilis* talentum unum sibi datum in fœnus non exponentis: sed ejusmodi non salvantur; ut rursus patet ex Matth. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est*; et ex Matth. 25., ubi fatuis virginibus, quantumlibet Christo per fidem desponsatis, dicitur: *Amen dico vobis: nescio vos*; servus ejicitur in tenebras exteriores; ac demum sententia damnationis in eos, qui carent operibus, enuntianda subjungitur; ergo.

3º. Fidem solam habentes possunt etiam esse adulteri, fures, avari, ebriosi etc., cum Jac. 2. v. 19. de immiserico corde dicat: *Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis: et dæmones credunt et contremiscunt*: sed ex 1. ad Cor. 6. v. 9. hujusmodi *iniqui regnum Dei non possidebunt*; ergo.

II. Ex TRADITIONE. 1º. Ex Patribus, inter quos CHRYS. hom. 25. (al. 24. n. 1.) in Matth.: *Non enim solum qui fidem habet, si vita negligatur, e cælis excluditur; sed etiamsi cum fide multa signa ediderit, nec boni quidpiam fecerit, a sacris similiter portis repellitur.* Et in Joann. hom. 30. (al. 31. n. 1.): *Num ergo sufficit, inquit, in Filium credere, ut vita æterna habeatur? Nequaquam.... si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem... Opus namque nobis est et vitæ et morum instituto probò.* AMBROS. ep. 78. n. 8. *Fides velut prævia charitatis occupat animam, et præparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis (perfecta) fides est, ubi perfectio charitatis.* AUCTOR COMM. in ep. S. Pauli qui sub nomine AMBROSII circumferuntur, in ep. ad Gal. c. 5. v. 5.: *Sola fide opus est in charitate ad justificationem; fides enim charitate fraterna debet muniri, ut perfectio sit credentis.* AUG. de Trin. L. 15. c. 48.: *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non et prodesse.* Cf. etiam L. de fide et oper. c. 14. S. LEO M. serm. 48. c. 3. (de Quadrag. 10.): *Quamvis magnam sit habere fidem rectam sanamque doctrinam, et multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes.*

2º. Ex recensione errorum. Inter hos enim tanquam antiquissimum et tempore Apostolorum occasione verborum D. Pauli exortum, a Petro autem, Joanne, Jacobo et Juda oppugnatum AUG. L. de fid. et op. c. 14. refert. IRENEUS eundem tribuit Valentino, ejusque antecessoribus Simoni mago et Pseudo-Apostolicis, dum L. 1. contr. hæres. c. 6. docet, eum promississe salutem suam sequentibus doctrinam sine operibus. Idem AUG. L. de Hæresibus hæ. 54. dicit de Eunomio.

3º. Ex TRID. quod Sess. 6. can. 9. sic definit: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur... anathema sit.*

III. Ex RATIONE. 1º. Fides justificat ut fundamentum et *radix* justitiæ; ergo hoc ipso debet complementum addi per alia; vel si fundamentum suf-